

2079

C O D I C E S

2080

co beneficium aliquod ecclesiasticum conferat.

## DXLVIII.

- 308 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 41. f. curren-  
te calamo scriptus, multumque  
fitu passus inscribitur: *R. Archiepiscopus Armachanus contra fratres ordinis Mendicantium. Et mox: In nomine patris et filij et spiritus sancti et virginis Marye dei matris. Amen. Propositio R. (Richardi Radulphi f. five Fitz-Ralph) Archiepiscopi Armacani et Primatis Hybernie. facta in Consistorio coram Domino Papa (Innocentio VI.) et Cardinalibus alijsque Prelatis ad utilitatem Cleri et populi christiani super materia mendicitatis et priuilegiorum. contra fratres de ordinibus mendicantium quibuscunque. apud Aunionem die octaua mensis Nouembris Anno Domini Millesimo Trecentesimo quinquagesimo septimo. Thema: Nolite iudicare secundum faciem. sed iustum iudicium iudicate. Fo. VII. Capitulo. Initium: Pater Sanctissime in principio mei sermonis &c. Adi Cod. anteced. ubi pluribus de hoc Opere actum.*

## DXLIX.

- 233 Codex chartaceus lat. varii Aevi, Folior. 108. f. continet sequentia: I. Epistolam *Luciferi* ad Praelatos Ecclesiae, quae incipit: *Lucifer princeps tenebrarum tristia profundi regnans Ache-*

*rontis imperij &c.* et jam alias pluries notata est.

II. fol. 1. p. 2. absque titulo: *Guilielmi de S. Amore Doct. Paris. Tractatus de Periculis novissimorum temporum*, contra Ordines Mendicantium. Indicatum est pluries hoc opus, etiam Cod. DCCCIX. sed sine mutilum; in praesenti integrum excurrit prout in editione *ibid.* citata, sed Prologus contractior est, et ab his verbis orditur: *Quia nos vacantes sacris scripturis et exponentes eas attendimus in illis pericula novissimorum temporum &c.* Subscriptio ad calcem: *Explicit abrenunciatio contra pseudo predicatorum.* Confer et Cod. DXLV.

III. fol. 11. p. 2. absque titulo Tractatus contra Mendicantes, seu de Confessione proprio Parocho facienda. Incipit: *Obedite prepositis vestris et subiaceatis eis &c.* et IV. Articulis constat: de confitentis obedientia, de confessionis efficacia, de confessione ordinario, de confessione adventicio. Richardi Armachani et Guiljelmi de S. Amore affecta est Autor, moderatus tamen; ait enim in Prooemio: *Nullum enim erroneum intendo dicere. Absit hoc a me. Quod si contra intentionem meam esset in hoc tractatu erroneum aliquid ab ecclesia iudicatum ex nunc reprobato et reuoco &c.* Tria haec Opuscula sub exitum Sec. XIV. descripta videntur. Quae vero sequuntur ad XV. pertinent.

IV. fol. 23. Confilia quaedam ad Sectam *Hussitarum* reprimendam,

dam, germanice, ut ait *Autor anonymus* in *Praef.* primum conscripta, dein ad quorundam petitionem latine reddita. Ingressus est: *Ad laudem Dei omnipotentis, dignissime Matris sue intemerate virginis Marie ac tocius celestis exercitus, pro confortatione fidei cristiane ac suppressione et deletionem, mediante diuino auxilio nephandissime heresis siue secte, que ante tempora per quendam heresiarcham Wicklef nominatum in Anglia primordium sumpsit et postmodum, quando ibidem conuenienter deleta fuit, in Bohemia recenter per Heresiarcham nominatum Johannem busz renouata, et proch dolor nimium est dilatata &c.* Suadet porro *Autor*: vitare singularitates, e quibus discordiae, vanitas, superbia, iudicii proprii tenacitas nascantur; restringere libertatem ecclesiasticam et exemptionem cleri, quam ait *a principibus secularibus potius, quam a Romanis pontificibus uel canonicis Juribus introductam*; refrenare cupiditatem, luxumque Ecclesiasticorum, nam, eo teste, *modice reputationis homines plures ecclesias et prebendas retinent, et ex hoc raro aliquis Rector ecclesie respicit populum sibi commissum, sed solent ponere ad curam populi actualem pauperes presbiteros indoctos, paciscentes cum eis de prouentibus usque ad extremum quadrantem, moranturque ipsi Rectores in magnis ciuitatibus, nichil de populo sibi commissio curantes &c.*

V. fol. 29. *Manuale de Arte praedicandi*, diuersum ab eo, quod *Cod. CLXXIX.* exhibitum fuit. Inscibitur: *Amantissimo viro Iusticie fautori amico suo precipuo Domino N.* Incipit: *Intra me dum tacitus considerarem &c.* Morem esse mittendi pro principio noui anni donaria, formadia seu caseos in mappis nitidis et candidissimis, poma gariopholis ac rebus ceteris stipata, varia clynodia in ladulis et scatulis &c. se vero mittere hunc *Traetatum*, cuius initium est: *Verbum dei propter deum non propter questum, propter deum non propter denarium predicare volentibus artem predicandi et copiam loquendi in hoc manuali opusculo relinquere cupientes &c.* Obvia quaeque, *Quis, Quid, Ubi, Quomodo, Quando.*

VI. fol. 36. *Constitutio Pontificia*, ne convivia in monasteriis celebrare teneantur, quando personae recipiuntur ad regularem observantiam. Incipit: *Ad perpetuam rei memoriam. Ne in vinea domini nostri licet insufficientibus meritis nostre commissa custodia nascentes vepres et spine adeo invalescant &c.* Subscripta est: *Datum Rome apud sanctum petrum II. non. aprilis Pontificatus nostri anno Septimo.* At quo *Christi?* *Varia Bullaria* incassum consului.

VII. fol. 37. *Sermones* quidam, ad quorum calcem legitur: *Expliciunt quedam omelie beati augustini quarum alique ad clerum relique*

relique vero ad populum predicari possunt, ut series materiarum demonstrat. Sed nihil horum γνωριον. Sermo enim I. III. IV. VII. VIII. IX. X. XI. sunt LXII. XLIX. LXIV. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII. LXIX. ad Fratres in Eremo, rejecti in Append. T. VI. Opp. Aug. edit. Maur. II. et V. sunt in append. T. V. Sermo CCLI et CCLXVI. Denique VI. est Caesarii Arelat. et legitur Bibl. PP. Lugd. T. VIII. p. 820.

VIII. fol. 51. Sententiae quaedam morales: De necessariis ad salutem. De Avaritia. De Ebrietate. De Decimis. De Vjura.

IX. fol. 53. p. 2. Anonymi Sermo qui incipit: Ex verbis sacri ewangelij colligimus quam difficile sit confidentes in pecunijs in regnum dei intrare &c. et finit: ut ex hoc carcere mortis nos eruens ad vera paradisi gaudia perducere dignetur. Qui uiuit et regnat &c.

X. fol. 55. Incipit tractatus de septem vicijs criminalibus per auctores veteris ac noui testamenti cum exemplis conformibus subtiliter recollectus. Alius a prolixo Tractatu Guil. Peraldi confimilis argumenti. Initium est: *Vidi bestiam ascendentem de mari habentem capita septem* &c. Praemissa cuiusvis ex septem Vitijs capitalibus descriptione inquirat Autor, cui rei hoc Vitium comparari queat, et quas Filias progeneret. Ita Superbia ei fimilis est Leoni, Aquilae, Cedro, Ceto et Locustae, Filiasque censet Ofo,

puta: *Inanem gloriam, Inobedientiam, Inconstantiam* &c. Adhaerent huic Tractatui: *Differentia breuis inter originale, veniale et mortale peccatum*, et brevis *Expositio de septem petitionibus contentis in oratione dominica*. Autor fortassis horum omnium *Hermannus de Schildis*. Confer *Ofsingeri Bibl. Aug.* ad p. 814.

XI. fol. 83. *Prologus sancti Bernhardi in quo commendatur sacramentum corporis et sanguinis domini*. Initium: *Pascalibus dapi-bus esuriens saturari quicumque requiris* &c. Prologum hunc excipiunt *Sermones II.* de eadem materia, qui una cum *Prologo* non ad *Bernardum*, sed *Ogerium* siue *Oglerum* Abbatem *Lucediensem* spectant, ut diximus ad *Cod. CCLXI.* quem vide, si lubet.

XII. fol. 89. manu seculi XVI. *Incipit Collectio de Scandalis Ecclesie*. Scriptum nervosum et acre Autoris eruditi et παρρησιασικωτατος, quod inter edita a *Melch. Goldasto* et *Edw. Brownio* ejusmodi de *Malis Ecclesiae* Opuscula frustra indagavi. Multa in eo peccavit Librarius, quod dolendum; quanquam secunda manus quaedam menda sustulerit. Agitur vero in eo de reformatione omnium paene utriusque Reip. graduum et conditionum. Ejus aetatem si quaeras, ante *Concilii Viennensis* tempora, atque adeo ante an. 1311. scriptum est, ut ex hoc loco liquet: *Sunt ordines alij in defensionem ecclesie assignati, quos Zacharias (Proph. C. 6.) designat in varijs equis;*

equis; per rubros fratres militie templi, qui rubeam crucem ferunt; per albos fratres hospitalis Sancti Iohannis Ierosolimitani propter albam crucem; per nigros fratres Hospitalis Sanctæ Mariæ Teutonicorum in Ierusalem propter nigram crucem; per varios fratres de spata (Milites S. Jacobi in Hispania circa 1158. institutos) et qui dicuntur militie Christi in partibus liuonia et prussia. Vides Templarios etiamnum floruisse, Teutonicos vero jam Prussiam ingressos, id, quod circa an. 1230. factum est. Autorem olim in Gallia degisse, plura loquuntur. Inter alia: Sunt apud nos mulieres, quæ begbinae vocantur (postea in Conc. Vienn. damnatae) et quaedam variis subtilitatibus vigent et nouitatibus gaudent. Habent interpretata scripturarum mysteria et in communi idiomate gallicata, quæ tamen in sacra scriptura exercitatis uix sunt peruia, legunt ea communiter, irreuerenter, audacter, in conuenticulis, in ergastulis, in plateis. Vidi ego, legi, et habui bibliam gallicatam, cuius exemplar parisiis publice ponitur a stationarijs (Bibliopolis, ut etiamnum in Anglia vocantur) ad scribendum. Et postquam ob emergentia damna ejusmodi exemplaria delenda et comburenda censuisset, subdit: ne dicatur in anglis (vel Anglia) ecce hic est Christus, ecce illic &c. Atque cum ex hoc loco, tum ex eo, quod ad Ambrosium Merlinum celebrem illum Cambrobritanum his verbis provocet:

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

Cucullati, inquit Ambrosius Merlinus, prouocabuntur in nuptias et clamor eorum in montibus audietur, Anglum fuisse concludo, utque dicam, quod sentio, Robertum Grosthead, Gallis Grostest Episcopum Lincolnensem anno 1253. uis exemptum, in quem Virum omnia probe conveniunt, ut videre est, in Tanneri Bibl. Brit. Hibern. p. 345. Quod si bella civilia, ut ait cit. Brownius in Append. ad Fascic. Rer. expet. et fug. p. 396. non impedivissent Editionem Opp. omnium Roberti, quam magnis tribus Voll. parabat ejus in Sede Lincolnensi successor Iohannes Williams, spes me tenet, praesens quoque Scriptum in eorum numero compariturum fuisse. Sed excerpamus quaedam in lectoris gratiam. Incipit: Postulatis a parvulis vestris scandala, quæ videmus in clero et populo et ea sub quibus gemit ecclesia, vobis scribi &c. Mox de Pontifice: Romanam (Ecclesiam) attendentes summum pontificem Successorem Petri Christum Domini Summo iudici relinquamus. Quia si montem tetigerit bestia, lapidetur. Habet ipse suum deuteronomium librum videlicet a Beato Bernardo de consideratione scriptum. De Curialibus: Hi sunt, per quos litigaturi ad curiam attrahuntur, attracti propriis exuuntur, exuti pendentibus et infectis negotiis ad propria sine proprio reuertuntur. — Remedium forsan erit, si remittantur appellationes ad eos, qui certius et brevius possunt expedire nego-

K k k

nego-

negotium, et egregie puniantur, qui appellant incassum. De Legatis: Exeunt et mittuntur de curia legati ad populum corrigendum et dogma fidei seminandum, sed, quia quod gratis acceperunt, gratis non impendunt, parum fructificant, aurum sitientes aurum bibunt, grauant ecclesias &c. Hac occasione multa etiam vera de infelici successu Cruciatorum. Prolixè dein de vitiis Praelatorum. Inter alia: Promouentur eorum consanguinei, beneficiis onerati, infames, illiterati, indigni et penuriam sustinent bene meriti literati — et tanta est horum consanguineorum coherencia et connectio in Capitulis, quod propter eos vix potest bonum aliquod ordinari, et hereditate possident sanctuarium Dei. Ad lamentandum de Sacerdotum Parochialium defectibus Jeremiae ait quadruplici Alphabeto opus fore. Inter cetera eos culpatur, quod Praedicatorum etiam ab Ordinariis missorum ora velint obstruere. Itaque non videtur Richardo Armachano, Guilelmo a S. Amore et aliis Mendicantium Ordinum Osoribus praeluisse. De Canonicis non lenius: Ut liberius vacent voluptatibus suis, vanitatibus indulgeant, licentiam obtinent, ut ad scholas vadant, quos si studium frequentare contigerit, audiunt, ut in pluribus, leges ciuiles non theologicas lectiones — et iam coaxantes prodeunt ranæ, quæ turmatim ingerunt se in pharaonis cubiculum, per quos aguntur et diriguntur consilia praelatorum. — Si vero,

quod absit, vineam domini Sabaoth aper exterminans singularis insurgeret, si vulpes paruulæ demolirentur vineas, si procederent fabricatores peruersorum dogmatum, veritatis et fidei subuersores, isti quomodo se opponerent, non apparet. Multa quoque de Scholis querela: Lapsa sunt in confusionem fere omnia studia litterarum, dum discipuli solis nouitatibus applaudunt, et Magistri potius invigilant gloriæ, quam doctrinæ &c. Acre porro lixivium affunditur Coenobiticis institutis, quod a primaeva sua observantia defecerint; carpitur luxus Abbatum, exemptio, rumor in claustris, dissolutio in choro, irreuerentia circa altare, prolixitas officii divini dimisso labore manuum a S. Benedicto praescripto. Monialibus plane illud Threnor. C. IV. v. 3. applicatur. De Ordinibus Equestribus: Dicunt se renunciaisse in singulari volentes omnia retinere in generali, et cum in singulari sint regulares, in vniuersali seculares, quomodo in singulari saluari possunt, qui in generali pereunt? Demum hinc ad Principes, Milites, Cives atque Agricolas transit graviter eos officii admonendo, et per omnia fidelem Seculi sui imaginem adumbrando, dum in his verbis desinat: In his autem et in alijs, quæ sunt perfunctorie et quasi superliminariter tacta non potest sine summi pontificis providentia consilium et auxilium efficax adhiberi.